



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica De Formulari Ab Illustrissimis  
Episcopis Belgii Proposito In Causa Jansenii**

**Claremontius, Johannes**

**Coloniæ, 1693**

§. VII. Arius multos habuit sui sensus defensores, qui ab Ecclesiâ rejecti  
fuerunt propter connexionem juris definiti cum facto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40333**

rentur, manifestum est notas veræ Ecclesiæ revelatas ei non convenire, & inde consequens est, quod si Romanæ, illæ non convenient ipsæ sint falsò revelatæ: ita dato quocumque sensu propositionum à sensu Iansenii discrepante, manifestum est, Ecclesiam non nisi fatuè & insipienter illum damnasse ut hæreticum: quia manifestum est, illum in Libro Iansenii non esse expressum, prout & ipsius fautores contendunt & Adversarii fatentur. Cum autem manifestum sit Ecclesiam non esse insipientem, immò & hoc credere esset hæreticum, manifestè sequitur, quod si sensus Iansenii non sit hæreticus, Ecclesia sensum damnavit qui non est hæreticus; idcoq' ex negatione facta corruptio articuli fidei sequitur: nimur Ecclesiam infallibilem non esse in ipso jure divino definiendo. Ex quo iterum infertur, quod negando sensum à Iansenio intentum, sive in Libro ipsius expressum esse hæreticum, consequenter non creditur id hæreticum esse quod à Summis Pontificibus sive ab Ecclesiâ damnatur ut hæreticum: quod ipsum est hæreticum, quamvis indirectè & minus principaliter.

### §. VII.

*Arius multos habuit sui sensus defensores, qui ab Ecclesiâ rejecti fuerunt propter connexionem juris definiti cum facto.*

**P**ropter minus arctam & magis remotam connexionem hæreticos pañim adegit Ecclesia ut suos autores ejurarent immò & execrarentur. Nam cum multis ambagibus & speciosis verbis sensa sua sic obvolverent, ut catholicè sentire viderentur, & autores suos excusarent, ex hujusmodi connexione convincebantur esse hæretici, seu animum gerere hæresi imbutum. Dixi connexionem hanc magis mediatam fuisse, quam sit modo in causa Jansenii: quippe tunc sensus expressus ex libro hæresiarchæ colligebatur, & ex sensu expresso sensus internus qui personam afficit: nunc autem non persona Iansenii, non sensus ejus internus seu in mente conceptus, sed quod proximum est, sensus ipse expressus in ejusdem libro petitur condemnari.

Itaque damnato errore Arii, ipse multis stratagematibus usus est, quibus Catholicum esse suum sensum probaret: de quo millies etiam protestatus fuit. Ideò professionem fidei scripsit ex puris Scripturæ verbis compositam, quò pravum sensum, quem in animâ servabat palpiaret,

fiaret, inquit Baronius ad an. 336, Eusebius Cæsariensis præcipuus inter ejus sectatores declarat ipsum docuisse, filium natum non ut creature, ibidem ad an. 318. Idem Eusebius in quodam Concilio admisit nomen consubstantialis, hoc sensu, quod ex substantiâ Patris esse, idem sit, quod Filius esset ex Patre, non ut pars, ibid. ad an. 425. Confessus iterum fuit, quod Patres usi fuissent nomine ejusdem substantiæ, quodque ipse in eâ explicatione consentiret, ibid.

Similia videri possunt apud S. Epiphanius hæret. 73. & Nicephorum Calistum lib. 8. hist. ubi hic posterior testatur Eusebium & alios sectatores Arii aperte professos filium ejusdem esse substantiæ cum Patre. Cum autem anathema contra Arium non probarent, inquit Nicephorus, eò quod certos se esse dicerent, ipsum hæresim fidei adversam non docuisse, ideo hæreticorum infamia semper laborarunt.

Socrates lib. 1. hist. cap. 19. Scribit de Eusebio Nicomediensi & de Theogne Nicæno, quod damnarent errores Ario attributos. sed anathema Ario ejusque doctrinæ dicere nollent. Quod minimè credentes, inquit Socrates, eum qui erat accusatus hominem ejus generis fuisse qui eos errores doceret. Ob hoc unum à Synodo pro hæreticis habitos & exilio multatos. Denique Theodoreetus lib. 1. hist. cap. 6. ait, Secundum & Theonam depositos à Concilio Nicæno, quod nollent subscribere condemnationi Arii, quodque alii ejusdem Patroni compulsi obedivissent.

Unum hic cum scopo observare licet, ex historia nimirum Ecclesiasticâ patere, Arium tam acres & multò plures ac celebres habuisse Iui sensus defensores quam habeat Jansenius. Itaque moderatores & magis versipelles, ex contentione illorum, proculdubium arguebant, sensum Arii dubium esse: quem tamen cum suo autore ejurare cogebantur ab Ecclesiâ. Non est ovum ovo similius, quam utriusq; horum causa.

### §. VIII.

*Sensus Nestorii non fuit ambiguus, quamvis multi illum excusarent, qui ad ejurandum Nestorium compulsi sunt.*

**C**um Jansenianis objectum fuisset, quod sectatores Nestorii aderti fuissent ipsum condemnare, responderunt factum Nestorii diversum esse à facto Iansenii; quod videlicet illius sensus certus fuerit,